

Lorenz Bodock

**Rector Universitatis Rostochiensis Laurentius Bodock, Ph. I.U.D. ... Ad Exequias
Quas ... Foeminae Margaritae Hagemeisters/ ... Viri Dn. Hinrici Heinii, Ampliss.
Facultat. Iuridicae olim Secretarii praeclare meritiss. Relictae Viduae Hodie Ad
Horam Primam Moestißimi liberi & consanguinei, decentißime paratas cupiunt.
Omnes Universitatis huius Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777514796>

Druck Freier  Zugang



B o d o c k, L.,
in M. Hagemeister,
uxor. H. Heine.

R. 1661.


87.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn777514796/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777514796/phys_0003)





D
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LAURENTIUS BODOCK,
Ph. J. U. D. Orator Academ. Facult. Phi-



los Senior. ac p. t. Decanus. Consiliarius

Mecklenburgicus

A D E X E Q U I A S

Quas

Laudat summa atq; Honestissima Fæmina

M A R G A R I T Æ

Hagemeisters/

Clarissimi & Consultissimi V I R I

D N . H I N R I C I H E I N I I .

Ampliss. Facultat. Juridicæ olim Se-
cretarii præclarè meritiss.

R E L I C T Æ V I D U Æ

H O D I E A D H O R A M P R I M A M

Mæstissimi liberi & consanguinei, decentissime
paratas cupiunt.

Omnes Universitatis hujus Cives, ac
omnes literarum cultores & favitores, offi-
ciosè sedulòq; invitati.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typ. ANNO CHRISTI M. DC. LXI.

RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS.
LAURENTIUS BODOCK, Ph. U. J. D.

ACADEMIÆ CIVIBUS AC FAVORITORIBUS

S. P.



I idem videretur nobis, quod Thucydiden, summum profectò gravissimumque scriptorem, de virtutemulierum statuisse legimus, minime op̄ erat hāc scriptione, quam nunc pr̄stantissimæ Fœminæ MARGARITÆ HAGMEISTERIÆ, ejusque ultimo honori impendimus; sed consultius longè foret, si penitus eā ipsā supersederemus. Enim verò, quemadmodum ceteroquin (refereente in præfatione suâ Nepote Cornelio) in Græciâ obtinebat, uti matres familias in parte interiore ædium, quæ Gyneconitis dicebatur, conclusæ tenerentur, nullique, eò alii, nisi propinquâ cognatione conjuncti accedere auderent. Ita & bonæ mulieris famam, sic, quasi corpus, includendam domi, nequæ effterendam in publicum esse, quem jam jam laudabamus, princeps existimabat Historicus; luceulentissimam, potissimumque laudem ei tribuens Fœminæ, quæ nec ob malefactum, nec ob egregium facinus, virtutesque insignes, sermone publico celebraretur. Quantò rectius humaniusque Gorgias Leontinus, ille sophistarum nobilis, sensisse credendus est? qui mulieris non quidem formam, sed nomen ac decus, nota quam maximè esse volebat, neque contineri in angulō exempla egregia, sed egredi limen, & famā sequi debere, quo innotescerent pluribus, quæ omnes decerent. Cumque adeò mulierum sœpe numerò virtus non minor, quam virorum sit, nec minus magnitudo animi in Timocleā, aut Porcia, quam in Pelopidā aut

aut *Bruto* spectetur; quæ afferri causa possit, cur non eandem etiam gloriam consequantur, earumq; exempla eximia, non secus, ac virorum, publicis laudibus efferantur? Romani certè, cùm alia multa, tum hoc præprimis prudenter ac graviter ordinavere, uti funera non tantum virorum, sed & mulierum, publicè, pro rostris laudarentur: quô quidem honore *Popilliam*, *Catuli* matrem, primò omnium affectam fuisse, abs maximo Tullio, de *Oratore*, proditum fuit. Ac *MARGARITÆ* quidem, quæ tumulanda hodie componendaq; est, eò promptius ac cumulatius id officii ac benevolentiae genus præstandum videbatur, quod in tantum laudata ipsa Fœmina fuerit, in quantum in Sequiori isto sexu, virtus, probitas, ac excellentissima ab omni parte indoles exseri, aut intelligi unquam possunt. Ad quæ, plura etiam alia accedebant, quæ nihil usitatum in eâ, aut vulgare saperent, sed sicutum ferè naturæ ordinem cursumq; transilirent; neq; quicquam in mulierum ullâ magni fieri ab aliquo, amariq; possit sapienter, quod non omne possedisse illa, atque abundantissime tenuisse credetur. Quod si jejuna laudatio vituperio propior, & verò Tantus sublimium rerum modus in eâ enituit, quas in præsenti deprædicare ex merito, nemo temere sustineat, tacendum profectò de illis potius, quam paucis dicendum esse videbatur. Sed quia tamē instituto veteri ac consuetudini parendum, ac satis faciendum est, calculorum secuti morem, qui summas ingentes æris, brævi-oribus exprimunt; rarissimæ, & in ornamentum seculi natæ Fœminæ vitam, signabimus potius, quam eloquemur, ut non tam legere ejus acta aliquis, quam numerare videatur. Et quidem ob-servatò naturæ ordine, à cunabulis & stirpe ejus, exordiemur hanc telam, in morte & obitu eandem deposituri. Nata itaque est Rostochi, Mecklenburgicarum omnium urbe clarissimâ ac celeberrimâ. Anno cl̄o Iōc XIII. die ultimâ. Febr. inter primam & secundam horam matutinam, Patre eximio, prudentissimoq; viro, Dn. GEORGIO HAGMEISTERO, Reip. hujus senatore bene-
meren-

merentissimo; Matre ornatissimâ & præstantissimâ MARGARITÀ
Besselins/ quam ut, dum viveret, amore & veneratione singulari
meritissimè omnes coluimus, ita nunc fatô functam, & si ævi ma-
tutram & plenam dierum, non aliter tamen, quâm ut funere acer-
bo elatam, vehementissimè, pariter omnes, desideramus. Avus
paternus fuit, Spectatissimus, integerrimusque VIR, GEORGIUS
HAGMEISTERUS, Celsissimi b. m. Principis, Dn. JOANNIS AL-
BERTI, Ducis Mecklenburgici Cameræ Secretarius, & Güstrovi-
ensium Oeconomus fidelissimus. Avia paterna REGINA Krügers/
lectissima & ab omni virtute in structissima Fœmina. Avum ma-
ternum habuit Amplissimum, prudentissimumque virum, Dn.
CHRISTIANUM Besselin/ Senatorem apud nos, ac Camerarium
spectatissimum. Aviam maternam MARGARITAM Burscheps/
clarissimam, optimamq; Fœminam. De his tantis, ex quibus nata
est, parentibus, non tam gloriari MARGARITA, quâm studere
voluit, ut non degener ipsa, aut indigna iisdem deprehenderetur.
Lustrata enim sacrô fonte, atq; hac ratione Conservatoris Christi,
ejusque Ecclesiae membrum facta, tam compositis & emendatis
dein moribus sese adsvevit, ut, sicut, in herbescente illâ segete
læta vernansq; viriditas futuræ messis indicium est, sic non obscu-
ro argumento jam tum ostenderet, futuram, qualem complexi,
quin & admirati hactenus tantopere sumus; hoc est, piam, justam,
fidelem, sedulam, integrum, pacis ac veritatis amantem; conti-
nentem verò sic cum primis, pudorisq; studiosam, ut nè in con-
spectum suum pateretur adduci, per quos de virginitatis integri-
tate delibasse saltem oculis quicquam videretur Quò factum, ut,
cum matura jani viro esset, Clarissimus summæque familiae VIR,
DN. HINRICUS HEINIUS, Amplissimæ Eaculatis juridicæ in Aca-
demiâ hâc nostrâ olim Secretarius, de constituendâ familia cogi-
tans, hanc ipsâ præcipue, quâvis nonnis viginti annorû juvencu-
lam, A. D. 1634. die 19. Augusti. sibi conjugem sociamque adjun-
geret. Qui quidem eâ, animorum concordiâ conjuncti invicem,
eo sanctissimo amore inter se amârunt, uti, quamvis uterq; nite-
retur

retur ad summum, neuter tamen vinceret ac superaret. Quæ res
ipsis & plurimum gaudii & innocentissimæ voluptatis subindè
præbebat. Uſit MARGARITAM unicè, quod ultrà sedecim annos,
tanta felicitas non porrigetur, sed intra illud spaciū, conjugem
istum suum exequi & lugere necesse haberet. Non aliter enim
accepit eum casum, quām si præcipuō vitæ solatiō, dimidiō ani-
mæ, & alterā sui parte privata foret. Et sanè, sicut frugi est uxor, in
cujus sinum læta, in cuius sinum tristia liceat deponere; sicuti est,
cui tutò fidere domum, pecuniam, sobolem liceat; ita quoq; mar-
itus est bonus, quō præter Deum, neminem ipsa sibi habeat
commendatiōrem. Cæterū accesserat maritali nexui liberorū
etiam vinculum, quō nihil validius est, utq; sic dicam, aheneum
magis ad colligandos continendosque animos conjugum.
Quinquies enim mater facta, bis in masculinā, ter in fœmininā
prole. Prodiere ALBERTUS & GEORGIUS filii. Natæ sunt CA-
TARINA MARGARITA, ANNA-ELISABETHA, & REGINA-
SOPHIA filiæ. Equibus ALBERTUS admodum puer, CATARI-
NA-MARGARITA autem, brevi post parentem, plurium consor-
tio adlecti. Superstitant per Dei gratiam GEORGIUS strenuā ad
virtutem gloriamque literarum grassans viā: ANNA ELISABE-
THA elegantissima ac luculentissima Virgo, Clarissimo Dn. M.
LUDOVICO BARCLAJO despōnsata, ut & REGINA SOPHIA
ipsa quoq; Virginē decus atq; ornamentū. Cæterū post functum
A.D. 1651. d. 3. Julii Maritum, perpetuā viduitate agere NOSTRA,
nec ullis novis Nuptiis implicari decrevit, non quod secunda
vota damnaret, (in quæ non nemo in veteri Ecclesiā justò fuit ini-
quier) sed ut eo clarius ostenderet, quanto amore & fide Domi-
num suum complexa olim fuisset; nefas esse arbitrata, illum sive
animum sive amorem suum, cum ullo aliopartiri. Jam itaq; hoc
statu posita, & solitaria vivendirationi, per semet ipsam conse-
crata, sancte, incorrupte, sineq; nota ac fabula degit, nihilq; com-
misit unquam, quod probro sibi ac de honestamento foret. Nam
quæ virtutes cadere in istum sexum solent, eas omnes à primâ
jam

jam ætate (ut supradicebamus) induit animo, perpetuoq; in vitâ expressit, ut pariter & præteriisse plures alias, & simul seipsum quodammodo superasle existimaretur. In primis autem, ut virtutum princeps pietas, sibi adesset, quantum poterat, adlaborabat. Illa enim reliquas omnes, cœu comités asseclasque secum semper ducit, & hunc pulcherrimum chorum quasi gubernat ac regit. Proin sic studiosa Dei cultrix fuit, ut non modò publicis sacris & concionibus (nullū enim ipsi acroama jucundius erat) summâ devotione semper, nisi valetudine attineretur, ifiterisset; sed quoq; in sue genitricis charissimę domō, in quā post mariti obitum, ab ipsa fuerit recepta, vel inter pensa colusq; , & cæteras muliebres operas, tum psalmos assiduè caneret, tum de rebus ad Christianismum pertinentibus loqueretur; nec quicquā unquā ausplicaretur, quod imponebat muneris ratio, priusquā Deo reddidisset suū, & post solennes preces, præscriptū lectionis Biblicæ pensum absoluisset. Neq; enim aut privatum aut publicè quicquā rectè feliciterq; fuscipi, atq; administrari existimabat, nisi ritè curatū ante Supremū Numen, conciliatumq; esset; cuius solius benevolentia ac favor, quâvis re alia valentior foret, & solus secundiorem cœptis eventum largiretur. Itaq; omnium calamitatum ac misericordiarum, quas tot nunc annos patimur causas, non aliò temere referre solebat, quām quod prolapsis adeò pietatis rebus, in omnis generis flagitia sceleraq; certatim penè rueremus. Sed veniendum tandem est ad supremum tempus, dicendumque de excessu Fœminæ optimæ; qui utinam tardior contigisset. At neq; mutari vitæ ordo potest, nec dissimulandum, quomodo mortua sit, postquam exposuimus, & quomodo nata, & quā ratione haec tenus vixerit. Neque enim instruere tantum animos acta sancte vita, sed & obita pie constanterq; mors, exemplo esse aliis potest. Jam diu est, quod nunquam non ferme, cum languore ac infirmitate aliquâ conflectaretur. Nacta enim corpus erat & tenue, & ita præterea comparatum, ut variis morborum generib[us] identidem impeteretur. Dare itaq; operam frequentius valetudini, &

Medi-

Medicorum consilia adhibere s'everat. Quod tamen ita faciebat,
ut non planè clinia esset, aut lectò teneretur, sed ut solita quoq;
per intervalla, munia administraret. Trimestre quasi lapsus, ex
quo ingravescere valetudinem NOSTRA piissimè denata, mi-
rificequè de die in diem dejici, prosterniç; vires videret. Evidē
maturè satis itum est obviam, & præstantissimæ medicinæ, præ-
cipuè verò Experientissimi, Excellentissimiç; Viri, DN. JOAN-
NIS BACKMEISTERI, Med. D. & Prof, Collegæ nostri honora-
tissimi opes adhibitæ; neq; quicquam in universum intermisum
eorum, quæ jacentem fovere ac levare poterant. Sed adeò jam
invaluerat malum, uti omnium remediorum, quæ adhibebantur
plurima & exquisitissima, virtutes frustra essent, & vitæ res in pe-
jus semper ac semper laberentur. Cùm ergò animadverteret, pro-
pediem sibi colligendas sarcinas, & de hac vita discedendum es-
se, omnes rerum humanarum curas procul exegit animo, & sola
divina atque cœlestia meditari, ac secum agere cœpit. Præcipuè
verò dedit operam, uti seriā pœnitentiā exsolyeret erroribus ani-
mam, & ad discessum suum ex corpore mature pararet. Neq; enim
bis aut ter, sed semel tantum morimur; igitur si quid erroris ibi
commissum fuerit, id emendari deinceps non potest: qualisque
fors morientes exceperit, ea nostra futura perpetuò est. Mini-
strum itaq; Verbi divini, Virum pl. Rev. & Excellentissimum DN.
JOANNEM QUISTORPIUM, S. Theol. D. & Profess. Ædisquè
Jacobææ Pastorem, Collegam & Amicum nostrum honoran-
dum, advocandum antè omnia curavit; à quō, sacro sancto viati-
co instrueretur. In quō cùm esset, Deus bone! quâ contritione,
quâ humilitate animi, quibusq; lacrymis confessa peccata sua est?
Quâ devotione, divina & verenda mysteria participavit? Post
hæc, meditando, orando, ac suspirando, quicquid vitæ supererat,
insumere, & omnem mentis cogitationem, in ultimam horam
defixam habere non desiit. Quam maximo animi cum prolubio
(quæ ex toties iteratis valetudinis incursibus & cæteroqui, etiam
rerum humanarum tedium ingens cepisset dudum, & nihil ma-
gis

gis in votis haberet, quam ut Virum, quo is jam aliquot ante annos præcessisset sequeretur) expectare, non verbis tantum, sed ipso etiam facto demonstravit. Neque enim de fato suo unquam quæsta est; id sibi maximè placere dictans, quod de se visum esset Deo, quem sequi sine murmure sibi proposuisset. Ad istum itaque modum egregiè comparato ac instituto animo, medias inter preces, quas voce non saltem (hanc enim ad ipsa extrema integrum cum omnibus sensibus servarat) verùm etiam mente ac spiritu, sublatis in cœlum manibus pariter ac oculis prosequebatur, plena fidei ac spei Christianæ, lenissimè, sineq; ullo violentiori corporis motu, XV. hujus mensis die, circa sextam matutinam exspiravit, postquam XLIX. annos vivendo fecisset. Et jam illa hodie tumulo suo, ad spem futuræ resurrectionis ac restitutionis in integrum, inferetur. Cùm itaq; pietate in Deum, quem summa semper veneratione coluit, in quod und spes universas ac opes positas habuit, benignitate in pauperes, in omnes comitatem ac benevolentiam, (ut cæteras ejus ingentes virtutes hoc quidem loco non repetamus) ita præstiterit ac excelluerit, ut speculum quoddam a regula aliqua videri possit, ad quam se penitus componere debeant, quæ in hoc sexu ad summam laudem aspirare conantur; Vestrum omnino erit, CIVES ACADEMICI, (quos primâ sic vice ex hoc loco appellamus) Ornatisimæ huic fœminæ exequias, quantâ unquam positis frequentiâ, celebrare; nè aut immemores officii vestri, aut tot tantarumq; virtutum, quæ fuerunt in vivâ, parùm æqui censores fuisse videamini. Ut itaque actui isti promptè decenterque interesse haut gravemini, etiam atque etiam Vos hortamur
& studiosissimè rogamus.

P. P. Sub sigillo Rectoratus, XXI. Maij, Anno recu-
peratæ gratiæ clp Ios LXI.

Conventus instituetur in Aede D. JACOBO
sacrâ, circa horam primam.

• 0 (0) 80



Medicorum consilia adhibere
 ut non planè clinia esset, aut
 per intervalla, munia admini-
 quo ingravescere valetudine
 rificequè de die in diem dejici,
 mature satis itum est obviam
 cipuè verò Experientissimi, E-
 NIS BACKMEISTERI, Med.
 tissimi opes adhibitæ; neq; qui
 eorum, quæ jacentem fovere
 invaluerat malum, uti omnium
 plurima & exquisitissima, virtu-
 jus semper ac semper laberent
 pediem sibi colligendas sarcin-
 se, omnes rerum humanarum
 divina atque cœlestia meditari
 verò dedit operam, uti seriā po-
 mam, & ad discessum suum ex o-
 bis aut ter, sed semel tantum re-
 commissum fuerit, id emenda-
 tors morientes exceperit, ea n-
 strum itaq; Verbi divini, Virum
 JOANNEM QUISTORPIUM
 Jacobæ Pastorem, Collega-
 dum, advocandum antè omni-
 co instrueretur. In quò cùm es-
 quâ humilitate animi, quibusq;
 Quâ devotione, divina & ver-
 hæc, meditando, orando, ac sus-
 insumere, & omnem mentis co-
 defixam habere non desit. Q
 (quæ ex toties iteratis valetudi-
 rerum humanarum tedium in-



the scale towards document

uod tamen ita faciebat,
 tur, sed ut solita quoq;,
 mestre quasi lapsus, ex
 A piissimè denata, mi-
 vires videret. Evidē
 tissimæ medicinæ, præ-
 miq; Viri, DN. JOAN-
 Collegæ nostri honora-
 universum intermissum
 oterant. Sed adeò jam,
 um, quæ adhibebantur
 essent, & vitæ res in pe-
 ò animadverteret, pro-
 c vita discedendum es-
 ule exegit animo, & sola
 gere cœpit. Præcipuè
 solveret erroribus ani-
 turè pararet. Neq; enim
 gitur si quid erroris ibi
 non potest: qualisque
 perpetuò est. Mini-
 Excellentissimum DN.
 D. & Profess. Ædisquè
 im nostrum honoran-
 quò, sacro sancto viati-
 one! quâ contritione,
 confessa peccata sua est?
 tria participavit? Post
 uicquid vitæ supererat,
 in ultimam horam
 animi cùm prolubio
 us & cæteroqui, etiam
 dudum, & nihil ma-
 gis

Patch Reference numbers on UTT
T263 Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.